



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Stephani Balvzii Miscellaneorum Liber ... Hoc est,  
Collectio Veterum monumentorum, quæ hactenus  
latuerant in varijs codicibus ac bibliothecis**

**Baluze, Etienne**

**Parisiis, 1679**

Lucij II. Papæ responsoria.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14735**

mo. Ego B. Colimbriensis Episcopus confirmo. Et ego Petrus Portugalensis Episcopus confirmo.

*Lucij II. Papæ responsoria.*

**L**vcius Episcopus servus servorum Dei dilecto in Christo filio A. illustri Portugalensi Duci salutem & apostolicam benedictionem. Devotionem tuam, dilecte in Domino fili, maximè congaudemus, quòd temetipsum de illis ovibus recognoscens quas Dominus noster Iesus Christus beati Petri custodiae commendavit, cùm ad expugnationem paganorum intentus, multisque negotiis secularibus occupatus, Apostolorum limina visitare non posses, per manum dilecti filij nostri G. Diaconi Cardinalis tunc in partibus illis apostolicæ sedis Legati prædecessori nostro felicio recordationis Papæ Innocentio hominum laudabili devotione fecisti, & terram tibi à Deo commissam beato Petro Apostolorum principi obtulisti, atque personam tuam & terram ipsam ipsius patrocinio humiliter commisisti, postmodum verò tam per litteras tuas quàm per venerabilem fratrem nostrum I. Bracharensem Archiepiscopum nobis etiam promisisti ut tam tu quàm hæredes tui de terra ipsa quatuor uncias auri annis singulis Romano Pontifici persolvatis. Nos itaque, qui, licèt indigni, beati Petri loco residere conspiciamur, tam te quàm filios tuos & successores vestros intra heredes ipsius Apostolorum principis ipso adjuvante suscipimus, ut in ejus benedictione & protectione tam animarum quam corporum maneat, per quam ab hostium visibilibus & invisibilibus expugnatione defensi, ad cælestia regna pervenire largiente Domino valeatis.

Datum Laterani Kalendis Maij.

